

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Auaricia au  
cum uariis

Auaricia est per quam in animis hominum deificatur pecunia, nummo diuine uenerationis exhibetur auctoritas, pro pudor; metallorum onera largiuntur honores ad metalli pondera ponderatos. Iam non Cesar sed nummus est omnia qui ab indiuidualibus usque ad generalissima honores singulos tanquam mediator excurrit. Iam nummus patriarcha noster efficitur, qui quosdam in archiepiscopatus intronizat apicem, quosdam episcopalis fastigii erigit in honorem, hos in archidiaconalibus adaptans officiis, alios aliarum pedestrium dignitatum coequans negociis.

Alanus libro de conquestione nature.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

Auaricia au] Auaricia ay P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; hominum] hominis P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup>; nummo] imo V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; exhibetur] exhibetur (*cor. sub lin.*) C; metalli] onera *add. (del. infra)* M; quosdam] epistula *add. (del. infra)* B C; coequans] ad equans (*cor. sub lin. et supra lin.*) C; libro *om.* C M P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>